



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCCCXVI. ad annum MCCCCXXIII.

Parisiis, 1644

Errores Ioannis Vvicleff de Anglia, & Ioannis Hus de Bohemia, damnati in
hoc sacro generali Constantiensi Concilio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15653

ram de dominis, quam de familiaribus eorumdem: sic tamen, quod a die notitiæ præsentium pro absolutione in vita ieiunent per annum sexta feria, & pro absolutione in mortis articulo per alium annum, nisi legitime fuerint impediti, quo casu habeant alia pietatis opera peragere. Post secundum vero annum debeant etiam vsque ad finem vitæ feria sexta ieiunare, vel aliqua opera pietatis peragere. Nul- li ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ absolutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumperit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli apostolorum eius, se nouerit incursum.

Datum & actum Constantiæ in loco sessionis publicæ dicti Concilii, decimo Kalendas Iunii, pontificatus nostri anno primo. Quibus decretis & statutis, & aliis (vt præmittitur) lectis & peractis, reuerendissimus in Christo pater & dominus, dominus Ioannes miseratione diuina episcopus Ostiensis, sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalis & vicecancellarius, Viuariensis vulgariter nuncupatus, nomine sacri Concilii prædicti (sicut asseruit) respondit, Placet. Et per dominum Augustinum de Lante de Pisis, aduocatum sacri consistorii, fisci que, & prædicti nomine papæ & Concilii (vt asseruit) petitum est instrumenta publica fieri ad perpetuam rei memoriam a protonotariis sedis apostolicæ, notariis ac scribis dicti sacri generalis Concilii.

ERRORES IOANNIS VVICLEFF

de Anglia, & Ioannis Hus de Bohemia, damnati in hoc sacro generali Constantiensi Concilio.

Martinus episcopus seruus seruorum Dei, venerabilibus fratribus archiepiscopis & episcopis, ac inquisitoribus hæreticæ prauitatis ubilibet constitutis, ad quos literæ præsentis peruenerint, salutem & apostolicam benedictionem.

Inter cunctas pastoralis curæ sollicitudines, quibus premimur incessanter, illa potissime fortius nos angit, vt hæreticis de finibus Christicolarum expulsis, suisque falsis doctrinis & erroribus peruersis penitus, quantum nobis ex alto conceditur, extirpatis, orthodoxa & catholica fides integra & illibata permaneat, ac populus Christianus in

ANNVS
CHRISTI
1418.

ANNO
CHRISTI
1418.

eiusdem fidei sinceritate, quolibet obscurationis semoto velamine, immobilis & inuiolatus persistat. Sane dudum plus quam omnibus retroactis temporibus in nonnullis regionibus & dominiis, præsertim in regno Bohemiæ & marchionatu Moraviæ, ac locis & districtibus illis vicinis, aduersus fidei catholicæ dogmata, & sanctæ matris ecclesiæ traditiones, non solum contra vnum, quin imo contra plura fidei catholicæ dogmata insurrexerunt quidam hæresiarchæ, circumcelliones, schismatici & seditiosi, Luciferina superbia & rabie lupina euecti, dæmoniorum fraudibus illusi, de vanitate in idipsum (licet forent de diuersis mundi partibus oriundi) conuenientes, & caudas colligatas habentes, damnatæ videlicet memoriæ Ioannes Vuicleff de Anglia, Ioannes Hus de Bohemia, & Hieronymus de Praga, qui vtinam alios secum ad infidelitatis interitum non traxissent. Nam vbi huiusmodi pestilentes personæ peruersa dogmata pertinaciter seminabant, in suæ doctrinæ pestiferæ primordio prælati & alii iudiciariæ potestatis regimina exercentes, tamquam canes muti non valentes latrare, nec vlciscentes cum Apostolo in promptu omnem inobedientiam, hæresiarchas ipsos pestiferos & dolosos, eorum lupinam rabiem 2. Cor. 10. truculentam statim (vt adstricti fuerant) canonicè coercere, eosque de domo Domini corporaliter eiicere non curarunt, sed sacrilegam, falsam & perniciosam ipsorum doctrinam per longas moras negligenter conualere permiserunt: populorum multitudo, illorum opinionibus falsis decepta, pro veris accepit, quæ diu mendaciter & perniciosè ac damnabiliter seminauerunt, eisque credendo, a recta fide cecidit turba multa, & errore deuio inuoluitur, proh dolor, paganorum, adeo quod per diuersa illarum, eisdemque conuicinarum partium climata, oues Christi catholicas hæresiarchæ ipsi successiue infererunt, & in stercore mendaciorum fecerunt putrescere. Quapropter generalis Constantiensis Synodus tantam fidelium & fidei orthodoxæ plagam & ruinam videns, exclamare compulsâ est cum Augustino: Quid faciet ecclesiæ Epist. 167. ad Faust. medicina, salutem omnium materna caritate conquirens, tamquam inter phreneticos & lethargicos æstuans? numquid contemnere, numquid desistere vel debet vel potest?

Concil. Tom. 29.

H h h h ij

Epist. 50.
ad Bonif.

Ioh. 8.

certe non, secundum eundem; imo vtrisque sit necesse est molesta, quæ neutris est inimica. Nam & molestus est medicus furenti phrenetico, & pater indisciplinato filio: ille ligando, iste cædendo; sed ambo diligendo. Si autem negligant, & eos perire permittant, (inquit Augustinus) ista mansuetudo potius falsa crudelitas est. Proinde Synodus præfata ad omnipotentis Dei gloriã, ipsiusque catholicæ fidei ac Christianæ religionis conseruationem, augmentum, & animarum salutem & præseruationẽ, eosdem Ioannem Vuicleff, & Ioannem Hus, & Hieronymum, qui inter cetera de sacro eucharistiæ sacramento, & aliis sacramentis ecclesiæ & articulis fidei aliter quam sancta Romana ecclesia credit, & tenet, & prædicat, & docet, quamplurima temere & damnabiliter credere ac tenere, prædicare atque docere pertinaciter attentabant, velut hæreticos & pertinaces ac obstinatos iam a cõmunionem fidelium separatos, de domo Dei corporaliter eiecit, & spiritualiter eiectos declarauit, & alia nonnulla circa præmissa vtilia & salubria statuit & decreuit, per quæ alii qui causantibus hæresiar- chis, eorumque falsis doctrinis huiusmodi spiritualiter de domo Dei exierunt, per vias canonicas reducerentur ad femitas veritatis. Et quia (sicut dolenter accepimus) non solum in regno Bohemiæ & marchionatus, dominiis & locis supradictis, verum etiam in quibusdam partibus & prouinciis contiguis, seu vicinis eisdem, etiam nonnulli ex sectatoribus & sequacibus hæresum ac errorum hæresiar- charum prædictorum, timore diuino & pudore humano prorsus abiectis, nec de ipsorum, & præsertim Ioannis Hus & Hieronymi interitu miserabili sumentes conuersionis & pœnitentiæ fructum, sed tamquam in profundum pressi peccatorum, Dominum Deum blasphemare non cessant, ducentes in irritum nomen eius, quorum mentes pater mendacii sic damnabiliter excæcauit, vt prædictos libros, codices & opuscula, hæreses & errores continentes seu continentia, dudum etiam per Synodum præfatã damnatos & damnata, ac ignibus concremanda deputata & concremata, legunt, student, ac ex eis in sui & multorum simplicium periculum, nedum contra statuta, decreta & ordinata in Synodo supradicta, sed etiam contra cano- nicas sanctiones dogmatizare præsumunt, in animarum

ANNO
CHRISTI
1418.

periculum, ac puritatis fidei denigrationem & scandalum plurimorum. Nos igitur attendentes, quod error cui non resistitur, approbari videtur, ac malis & perniciosis erroribus huiusmodi resistere, ac eos de medio Christi fidelium, & præsertim de suprascriptis Bohemiæ & Moraviæ dominiis & districtibus ac confinibus & viciniis eorum, ne amplius & latius se extendant, funditus euellere cupientes, discretioni vestræ, sacro approbante Concilio Constantiensi, per apostolica scripta committimus & mandamus, quatenus vos archiepiscopi & episcopi ac electi, & quilibet vestrum per se, seu alium vel alios, quos graues & idoneas personas spirituales iurisdictionem habentes esse volumus, omnes & singulos cuiuscumque dignitatis, officii, præminentiae, status vel conditionis existant, & quibuscumque nominibus censeantur, qui de præexcelso, salutifero & supermirabili sacramento corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi, vel de baptismo, seu peccatorum confessione, pœnitentiæ pro peccatis iniunctione, vel reliquis ecclesiasticis sacramentis, seu fidei articulis, aliter sentire aut docere, quam sacrosancta Romana ecclesia & vniuersalis docet, prædicat & obseruat, aut articulos seu libros & doctrinas præfatorum hæresiarcharum Ioannis Vuicleff & Ioannis Hus, & Hieronymi, per eandem Constantiensem Synodum cum suis auctoribus (vt prædicitur) damnatos & damnatas, tenere, credere & dogmatizare, ac vitæ finem ipsorum hæresiarcharum publice vel occulte pertinaciter quomodolibet laudare vel approbare præsumserint, eorumque receptatores, defensores & fautores quoslibet etiam contemplatione prædictorum errorum, nec non credentes & adhærentes eisdem, tamquam hæreticos iudicetis, & velut hæreticos sæculari curiæ relinquatis. Receptatores quoque, fautores & defensores huiusmodi pestiferarum personarum, quæ erroribus ipsis crediderint, nec fauore aut contemplatione errorum ipsorum, sed forte carnalis amoris causa, vel occasione alia huiusmodi personas pestiferas receptauerint, præter pœnas ab utroque iure talibus inflictas, per iudices competentes tanta seueritate pœnarum in tam enormi scelere ultionem accipiant, quod cedat ceteris grassantibus in exemplum, vt quos Dei ti-

*Hebr. ii.*Lateranen.
Concil. sub
Alexan. III.
cap. 27.

mor a malo non reuocat, saltem coerceat seueritas disciplinae. Cum reliquis vero huiusmodi secta damnabili quomodolibet infectis, qui post competentem monitionem ac frequentem exhortationem, qua pie erga eos, spe correctionis & emendationis, ac ad melioris vitæ frugem conuersionis, vsus est, a prædictis erroribus & secta noluerint resipiscere, & ad gremium vnitatemque sanctæ matris ecclesiæ, ac fidem catholicam, quæ sola saluare potest, sine qua nulli veræ salutis subsidium contingit, plene recognoscere & confiteri, iustitiæ seueritas (prout facti poposcerit qualitas) dulcore misericordiæ temperetur. Et nihilo minus omnes Christianæ & catholice fidei professores, imperatorem, reges, duces, principes, marchiones, comites, barones, milites, potestates, rectores, consules, proconsules, scabinos, communitates & vniuersitates regnorum, prouinciarum, ciuitatum, oppidorum, castrorum, villarum, terrarum, aliorumque locorum huiusmodi, nec non ceteros iurisdictionem temporalem exercentes, iuxta iuris formam & exigentiam auctoritate apostolica exhortando moneatis & requiratis, vt de regnis, prouinciis, ciuitatibus, oppidis, castris, villis, terris & omnibus aliis locis ac dominiis supradictis, omnes & singulos hæreticos huiusmodi, secundum tenorem Lateranensis Concilii, quod incipit, Sicut ait, ad instar etiam irretitorum crimine vsurarum, quos publice vel manifeste per facti euidentiam cognouerint esse tales, tamquam oues morbidas gregem Domini inficientes expellant, donec & quousque a nobis, seu vobis, vel aliis iudicibus ecclesiasticis, vel inquisitoribus, fidem & communionem Romanæ ecclesiæ tenentibus, aliud recipiant in mandatis; nec eisdem in suis districtibus prædicare, domicilia tenere, larem fouere, contractus inire, negotiationes & mercantias quolibet exercere, aut humanitatis solatia cum Christi fidelibus habere permittant. Et si tales hæretici publici ac manifesti, licet nondum per ecclesiam declarati, in hoc tam graui crimine decesserint, ecclesiastica careant sepultura, nec oblationes fiant aut recipiantur pro eisdem: bona tamen ipsorum a tempore commissi criminis secundum canonicas sanctiones confiscata non occupentur per illos, ad quos alias pertinerent, donec per huiusmodi iudi-

ANNO
CHRISTI
1418.

ces ecclesiasticos super hoc potestatem habentes sententia declaratoria super ipso hæresis crimine fuerit promulgata. Qui autem de hæresi per iudicem competentem ecclesiasticum inuenti fuerint sola suspitione notati seu suspecti, nisi iuxta considerationem & exigentiam suspitionis, qualitatemque personæ, ad arbitrium iudicis huiusmodi propriam innocentiam congrua deuotione monstrauerint, in purgatione eis canonicè indicta deficientes, & se canonicè purgare non valentes, aut pro huiusmodi purgatione faciendâ, obstinatione damnabili iurare renuentes, tamquam hæretici condemnentur. Qui vero dictam innocentiam monstrare ex quadam negligentia seu desidia, & purgationem huiusmodi facere omiserint, anathematis gladio feriantur, & vsque ad satisfactionem condignam ab omnibus euitentur; ita quod si per annum in excommunicatione huiusmodi persisterint, extunc velut hæretici condemnentur. Si quis vero super aliquo sæpe dictæ pestiferæ doctrinæ hæresiarcharum prædictorum, vel aliquibus articulis dumtaxat scandalosis, temerariis, seditiosis, vel piarum aurium offensiuis, culpabilis repertus fuerit, canonicè puniatur. Si vero propter solam infamiam aut suspitionem dictorum articulorum, vel alicuius ipsorum, quis repertus fuerit suspectus, & in purgatione canonica propter hoc sibi indicta deficeret, pro conuicto habeatur, & tamquam canonicè conuictus puniatur. Et insuper felicis recordationis Bonifacii papæ octauæ prædecessoris nostri, quæ incipit, Vt inquisitionis negotium, renouantes, & etiam exequentes, vniuersas potestates & dominos temporales & iudices antedictos, quibuscumque dignitatibus vel officiis seu nominibus censeantur, exhortando requirimus, & mandamus eisdem, vt sicut reputari cupiunt & haberi fideles, ac filii ecclesiæ nuncupari, & in Christi nomine gloriari, ita pro defensione fidei vobis archiepiscopis, episcopis & electis, ac inquisitoribus hæreticæ prauitatis, & aliis iudicibus seu personis ecclesiasticis per vos ad hoc (vt præmittitur) deputandis, fidem & communionem sanctæ matris ecclesiæ tenentibus, pareant & intendant, præbeantque auxilium & fauorem in hæreticorum, nec non credentium, fautorum, receptatorum & defensorum ipsorum

inuestigatione, captione, custodia diligenti, cum ab eisdem fuerint requisiti, vt præfatas personas pestíferas alios secum perdere molientes, in potestatem seu carcerem per vos archiepiscopos, episcopos, electos & inquisitores prædictos aut deputandos a vobis, vel ad locum de quo vos vel ipsi mandabitis, infra eorundem dominorum potestatem, rectorum, seu iudicum districtum ducant, vel duci faciant sine mora, vbi per viros catholicos a vobis archiepiscopis vel episcopis, electis seu inquisitoribus, seu deputandis personis huiusmodi, vel vestrum aliquo deputato, sub* exacta & diligenti custodia, ne fugiant, ponendo* arda eos, etiam compedibus & manicis ferreis teneant, donec eorum negotium per ecclesiæ iudicium terminetur: & quod de hæresi a iudice ecclesiastico competenti, qui fidem & communionem dictæ sanctæ Romanæ ecclesiæ teneat, condemnentur, præfati domini temporales, seu rectores, iudices, vel eorum officiales, seu nuntii, sibi relictos recipiant indilate, animaduersione debita puniendos. Verum ne præiudicium & scandalum præfatæ fidei orthodoxæ religionis Christianæ, prætextu ignorantia quemquã in hoc circumueniri, aut versutos homines sub friuolæ excusationis velamine in hac materia palliare contingat, & vt de conuincendis seu cognoscendis hæreticis, receptatoribus, defensoribus, fautoribus, credentibus & adhærentibus, nec non de hæresi suspectis, & aliis huiusmodi peruersa doctrina quomodolibet maculatis, plenior habeatur in futurum instructio, tam ad regnum Bohemiæ & conuicinas illi, quam alias quasslibet partes, in quibus hæc supersticiosa doctrina quomodolibet pullulauerit, articulos infra scriptos, sectam dictorum hæresiarcharum concernentes, pro directione dictæ fidei decernimus transmittendos, & etiam destinandos: super quibus vobis & aliis omnibus archiepiscopis, episcopis & electis ac commissariis & inquisitoribus in virtute sanctæ obedientiæ præcipimus & mandamus, vt quilibet eorum infra limites & loca suæ iurisdictionis, nec non regno & marchionatu & locis eis vicinis prædictis, etiam si loca ipsa extra iurisdictionem eandem vltra duas diætas consistant, circa extirpationem & correctionem errorum ac hæresum, & huiusmodi sectæ pestiferæ, in fauorem ipsius fidei orthodoxæ diligenter inuigilent,

ANNO
CHRISTI
1418.

gilent, & omnes infamatos seu suspectos de tam pestifera labe sub confessati criminis, excommunicationis, suspensionis, interdicti, aut alia formidabili poena canonica vel legali, prout, quando & quemadmodum eis videatur expedire, & facti inquireret qualitas, ad singulos huiusmodi articulos per iuramentum corporaliter praestitum, tactis sacrosanctis euangelii, seu sanctorum reliquiis, imagine crucifixi, secundum quorundam locorum obseruantiam, iuxta infra scripta interrogatoria ad quemlibet articulum conuenientia, respondere compellant. Nos enim contra omnes & singulos archiepiscopos, episcopos & electos & inquisitores, qui super extirpando haeretica prauitatis fermento, & expurgando suum territorium, districtum, seu locum, de talibus malis & sceleratis hominibus, negligentes fuerint, seu remisse egerint, usque ad priuationem, seu depositionem pontificalis dignitatis procedere intendimus, & procedemus ac procedi faciemus, aliosque loco illorum substituemus, qui prauitatem haeticam possint & valeant confundere; & ad alias poenas contra tales a iure inflictas, & alias grauiore (si expediat) infligendas, procedemus, procedi que faciemus, iuxta iuris & facti exigentiam, ac huiusmodi culpa & criminis foeditatem. Tenores vero eorumdem articulorum, seu capitulorum, de quibus supra fit mentio, sequuntur per ordinem in haec verba.

Et primo sequitur tenor articulorum Joannis Vuicleff.

Sup. sess. 8.

1. Substantia panis materialis, & similiter substantia vini materialis, remanent in sacramento altaris.
2. Accidentia panis non manent sine subiecto in eodem sacramento.
3. Christus non est in eodem sacramento identice & realiter in propria praesentia corporali.
4. Si episcopus vel sacerdos existat in peccato mortali, non ordinat, non consecrat, non conficit, non baptizat.
5. Non est fundatum in euangelio, quod Christus Misam ordinauerit.
6. Deus debet obedire diabolo.
7. Si homo fuerit debite contritus, omnis confessio exterior est sibi superflua & inutilis.

Concil. Tom. 29.

Iiii

8. Si papa sit præscitus & malus, & per consequens membrum diaboli, non habet potestatem super fideles sibi ab aliquo datam, nisi forte a Cæsare.
9. Post Vrbanum sextum non est aliquis recipiendus in papam, sed viuendum est more Græcorum sub legibus propriis.
10. Contra scripturam sacram est, quod viri ecclesiastici habeant possessiones.
11. Nullus prælatus debet aliquem excommunicare, nisi prius sciat eum excommunicatum a Deo: & qui sic excommunicat, fit ex hoc hæreticus vel excommunicatus.
12. Prælatus excommunicans clericum, qui appellauit ad regem, vel ad Concilium regni, eo ipso traditor est regis & regni.
13. Illi qui dimittunt prædicare, siue audire verbum Dei, propter excommunicationem hominum, sunt excommunicati, & in Dei iudicio traditores Christi habebuntur.
14. Licet alicui diacono vel presbytero prædicare verbum Dei, absque auctoritate sedis apostolicæ, siue episcopi catholici.
15. Nullus est dominus ciuilis, nullus est prælatus, nullus est episcopus, dum est in peccato mortali.
16. Domini temporales possunt ad arbitrium suum auferre bona temporalia ab ecclesia, possessionatis habitualiter delinquentibus, id est, ex habitu, non solum actu delinquentibus.
17. Populares possunt ad suum arbitrium dominos delinquentes corrigere.
18. Decimæ sunt puræ eleemosynæ, & possunt parochiani, propter peccata suorum prælatorum, ad libitum suum eas auferre.
19. Speciales orationes applicatæ vni personæ per prælatos vel religiosos, non plus profunt eidem quam generales, ceteris paribus.
20. Conferens eleemosynam fratribus, est excommunicatus eo facto.
21. Si aliquis ingreditur religionem priuatam qualemcumque, tam possessionatorum, quam mendicantium,

ANNO
CHRISTI
1418.

redditur ineptior & inhabilior ad obseruationem mandatorum Dei.

22. Sancti instituentes religiones priuatas, sic instituen-
do peccauerunt.

23. Religiosi viuentes in religionibus priuatis non sunt
de religione Christiana.

24. Fratres tenentur per labores manuum victum acqui-
rere, & non per mendicitatem.

Prima pars est scandalosa & præsumptuose asserta, pro
quanto sic generaliter & indistincte loquitur: & secun-
da erronea, pro quanto asserit mendicitatem fratribus
non licere.

25. Omnes sunt simoniaci, qui se obligant orare pro aliis,
eis in temporalibus subuenientibus.

26. Oratio præciti nulli valet.

27. Omnia de necessitate absoluta eueniunt.

28. Confirmatio iuuenum, clericorum ordinatio, loco-
rum consecratio, reseruantur papæ & episcopis pro-
pter cupiditatem lucri temporalis & honoris.

29. Vniuersitates, studia, collegia, graduationes & ma-
gisteria in eisdem, sunt vana gentilitate introducta, &
tantum profunt ecclesiæ sicut diabolus.

30. Excommunicatio papæ vel cuiuscumque prælati non
est timenda, quia est censura Antichristi.

31. Peccant fundantes claustra; & ingredientiæ sunt viri
diabolici.

32. Ditare clerum, est contra regulam Christi.

33. Silvester papa & Constantinus imperator errauerunt
ecclesiam dotando.

34. Omnes de ordine mendicantium sunt hæretici: &
dantes eis eleemosynam sunt excommunicati.

35. Ingrediens religionem, aut aliquem ordinem, eo
ipso inhabiles sunt ad obseruanda diuina præcepta, &
per consequens ad perueniendum ad regnum cælo-
rum, nisi apostatauerint ab eisdem.

36. Papa cum omnibus clericis suis possessionem habentibus
sunt hæretici, eo quod possessiones habent: &
consentientes eis, omnes videlicet domini sæculares
& ceteri laici.

37. Ecclesia Romana est synagoga satanæ, nec papa est

proximus & immediatus vicarius Christi & apostolorum.

38. Decretales epistolæ sunt apocryphæ, & seducunt a fide Christi: & clerici sunt stulti, qui student eas.

39. Imperator & domini sæculares sunt seducti a diabolo, vt ecclesiam dotarent bonis temporalibus.

40. Electio papæ a cardinalibus, a diabolo est introducta.

41. Non est de necessitate salutis, credere Romanam ecclesiam esse supremam inter alias ecclesias.

Error est, si per Romanam ecclesiam intelligat vniuersalem ecclesiam, aut Concilium generale, aut pro quanto negaret primatum summi pontificis super alias ecclesias particulares.

42. Fatuum est credere indulgentiis papæ & episcoporum.

43. Iuramenta illicita sunt, quæ fiunt ad corroborandum humanos contractus & commercia ciuilia.

44. Augustinus, Benedictus & Bernardus damnati sunt, nisi pœnituerint de hoc, quod habuerunt possessiones, & instituerunt & intrauerunt religiones: & sic a papa vsque ad vltimum religiosum, omnes sunt hæretici.

45. Omnes religiones indifferenter introductæ sunt a diabolo.

Sup. scff. 8.

*Tenor autem articulorum Ioannis Hus sequitur,
& est talis.*

1. Vnica est sancta vniuersalis ecclesia, quæ est prædestinatorum vniuersitas. & infra sequitur: Vniuersalis sancta ecclesia tantum est vna, sicut tantum vnus est numerus omnium prædestinatorum.

2. Paulus nunquam fuit membrum diaboli, licet fecit quosdam actus actibus ecclesiæ malignantium confimiles.

3. Præsciti non sunt partes ecclesiæ, cum nulla pars eius finaliter excidet ab ea, eo quod prædestinationis caritas, quæ ipsam ligat, non excidet.

4. Duæ naturæ, diuinitas & humanitas, sunt vnus Christus.

5. Præscitus etsi aliquando est in gratia secundum præsen-

ANNO
 CHRISTI
 1418.

- tem iustitiam, tamen nunquam est pars sanctæ eccle-
 siæ: & prædestinatus semper manet membrum ec-
 clesiæ, licet aliquando excidat a gratia aduentitia, sed
 non a gratia prædestinationis.
6. Sumendo ecclesiam pro conuocatione prædestinato-
 rum, siue fuerint in gratia, siue non secundum præsen-
 tem iustitiam, isto modo ecclesiæ est articulus fidei.
 7. Petrus non est, nec fuit caput ecclesiæ sanctæ catho-
 licæ.
 8. Sacerdotes quomodolibet criminose viuentes, sacer-
 dotii polluent potestatem: & sic, vt filii infideles, sen-
 tiunt infideliter de septem sacramentis ecclesiæ, de
 clauibus, officiis, censuris, moribus, ceremoniis & sa-
 cris rebus ecclesiæ, veneratione reliquiarum, indul-
 gentiis & ordinibus.
 9. Papalis dignitas a Cæsare inoleuit, & papæ perfectio
 & institutio a Cæsaris potentia emanauit.
 10. Nullus sine reuelatione assereret rationabiliter de se
 vel alio, quod esset caput ecclesiæ particularis, nec
 Romanus pontifex est caput Romanæ ecclesiæ par-
 ticularis.
 11. Non oportet credere, quod iste quicumque est Ro-
 manus pontifex, sit caput cuiuscumque particularis ec-
 clesiæ sanctæ, nisi Deus eum prædestinauerit.
 12. Nemo gerit vicem Christi vel Petri, nisi sequatur eum
 in moribus, cum nulla alia sequela sit pertinentior, nec
 aliter recipiat a Deo procuratoriam potestatem: quia
 ad illud officium vicariatus requiritur & morum con-
 formitas, & instituentis auctoritas.
 13. Papa non est verus & manifestus successor apostolo-
 rum principis Petri, si viuit moribus contrariis Petro:
 & si quarit auaritiam, tunc est vicarius Iudæ Scarioth.
 Et pari euidentia cardinales non sunt veri & manifesti
 successores collegii aliorum apostolorum Christi, nisi
 vixerint more apostolorum, seruantes mandata & con-
 silia Domini nostri Iesu Christi.
 14. Doctores ponentes, quod aliquis per censuram ec-
 clesiasticam emendandus, si corrigi noluerit, sæculari
 iudicio est tradendus, pro certo sequuntur in hoc pon-
 tifices, scribas & pharisæos, qui Christum non volen-

Ioan. 18.

tem eis obedire in omnibus, dicentes, *Nobis non licet interficere quemquam*, ipsum sæculari iudicio tradiderunt; & quod tales sint homicidæ grauiores quam Pilatus.

ANNO
CHRISTI
1418.

15. Obedientia ecclesiastica est odedientia secundum adinventionem sacerdotum ecclesiæ, præter expressam auctoritatem scripturæ.
16. Diuisio immediata humanorum operum est, quod sunt vel virtuosa, vel vitiosa: quia si homo est vitiosus, & agit quidquam, tunc agit vitiose: & si est virtuosus, & agit quidquam, tunc agit virtuose: quia sicut vitium quod crimen dicitur seu mortale peccatum, inficit vniuersaliter actus hominis vitiosi; sic virtus viuificat omnes actus hominis virtuosi.
17. Sacerdotes Christi viuentes secundum legem eius, & habentes scripturæ notitiam, & effectum ad ædificandum populum, debent prædicare, non obstante prætenfa excommunicatione. & infra: Quod si papa, vel aliquis prælatus mandat sacerdoti sic disposito, non prædicare, non debet subditus obedire.
18. Quilibet prædicantis officium de mandato accipit, qui ad sacerdotium accedit: & illud mandatum debet exequi, prætenfa excommunicatione non obstante.
19. Per censuras ecclesiasticas excommunicationis, suspensionis & interdicti, ad sui exaltationem clerus populum laicalem sibi suppeditat, auaritiam multiplicat, malitiam protegit, & viam præparat Antichristo. Signum autem euidens est, quod ab Antichristo tales procedunt censuræ, quas vocant in suis processibus fulminationes, quibus clerus principalissime procedit contra illos qui denudant nequitiam Antichristi, qui clerum pro se maxime vsurpabit.
20. Si papa est malus, & præsertim si est præscitus, tunc vt Iudas apostolus est diabolus, fur & filius perditionis, & non est caput sanctæ militantis ecclesiæ, cum nec sit membrum eius.
21. Gratia prædestinationis est vinculum, quo corpus ecclesiæ, & quodlibet eius membrum iungitur Christo capiti insolubiliter.

ANNO
CHRISTI
1418.

22. Papa vel prælatus malus & præscitus, est æquiuoce pastor, & vere fur & latro.
23. Papa non debet dici sanctissimus, etiam secundum officium, quia alias rex deberet etiam dici sanctissimus secundum officium: & tortores & præcones dicerentur sancti, imo etiam diabolus deberet dici sanctus, cum sit officarius Dei.
24. Si papa uiuat Christo contrarie, etiam si ascenderet per ritam & legitimam electionem secundum constitutionem humanam vulgatam, tamen aliunde ascenderet quam per Christum, dato etiam quod intraret per electionem a Deo principaliter factam. Nam Iudas Scarioth rite & legitime est electus a Deo Christo Iesu ad episcopatum, & tamen ascendit aliunde in ouile ouium.
25. Condemnatio quadragintaquinque articulorum Iohannis Vuicleff per doctores facta, est irrationabilis & iniqua & male facta, & ficta est causa per eos allegata, videlicet ex eo, quod nullus eorum sit catholicus, sed quilibet eorum aut est hæreticus, aut erroneus, aut scandalosus.
26. Non eo ipso quo electores, vel maior pars eorum consenserit viua voce secundum ritus hominum in personam aliquam, eo ipso illa persona est legitime electa, vel eo ipso est verus & manifestus successor vel vicarius Petri apostoli, vel alterius apostoli in officio ecclesiastico. vnde siue electores bene, siue male elegerint, operibus electi debemus credere. Nam eo ipso quo quis copiosius operatur meritorie ad profectum ecclesiæ, habet a Deo ad hoc copiosius potestatem.
27. Non est scintilla apparentiæ, quod oporteat esse vnū caput in spiritualibus regens ecclesiam, quod semper cum ipsa ecclesia militante conuersetur & conseruetur.
28. Christus sine talibus monstruosis capitibus per suos veraces discipulos sparsos per orbem terrarum melius suam ecclesiam regularet.
29. Apostoli & fideles sacerdotes Domini strenue in necessariis ad salutem regularunt ecclesiam, antequam papæ officium foret introductum: sic facerent, deficiente per summe possibile papa vsque ad diem iudicii.
30. Nullus est dominus ciuilis, nullus est prælatus, nullus

est episcopus, dum est in peccato mortali.

Super præmissis autem articulis quilibet de eis suspectus, seu in eorum assertione deprehensus, iuxta modum interrogetur infra scriptum.

In primis, vtrum cognouerit Ioannem Vuicleff de Anglia, Ioannem Hus de Bohemia, Hieronymum de Praga, seu aliquem eorum: & vnde habuerit eorum notitiam, & vtrum cum eis, vel eorum aliquo, dum viuerent, conuersionem vel amicitiam habuerit.

Item, vtrum sciens ipsos seu aliquem ipsorum excommunicatos, scienter participauerit cum illis, reputans & dicens talem participationem non esse peccatum.

Item, vtrum post mortem eorum pro eisdem seu aliquo eorum orauerit, & publice vel occulte opera pietatis exercuerit, asserens eos fore beatos & saluos.

Item, vtrum eos vel aliquem eorum sanctos reputauerit & dixerit, & eis venerationes velut sanctis exhibuerit.

Item, vtrum credat, teneat & asserat, quod quodlibet Concilium generale, & etiam Constantiense vniuersalem ecclesiam representet.

Item, vtrum credat, quod illud quod sacrum Concilium Constantiense, vniuersalẽ ecclesiam representans, approbavit & approbat in fauorem fidei & ad salutem animarũ, quod hoc est ab vniuersis Christi fidelibus approbandum & tenendum: & quod condemnauit & condemnat, esse fidei vel bonis moribus contrarium, hoc ab eisdem esse tenendum pro condemnato, credendum & asserendum.

Item, vtrum credat, quod condemnationes Ioannis Vuicleff, Ioannis Hus, & Hieronymi de Praga, factæ de personis eorum, libris & documentis per sacrum generale Constantiense Concilium, fuerint rite & iuste factæ, & a quolibet catholico pro talibus tenendæ & firmiter asserendæ.

Item, vtrum credat, teneat, asserat Ioannem Vuicleff de Anglia, Ioannem Hus de Bohemia, & Hieronymum de Praga, fuisse hæreticos & pro hæreticis nominandos ac deputandos, & libros & doctrinas eorum fuisse & esse peruersos, propter quos & quas, & eorum pertinacias, per sacrum Concilium Constantiense pro hæreticis sunt condemnati.

Item,

ANNO
CHRISTI
1418.

Item, vtrum habeat in sua potestate aliquos tractatus, opuscula, epistolas, vel quaecumque alia scripta in quocumque idiomate per Ioannem Vuicleff, Ioannem Hus & Hieronymum haereticos, seu eorum pseudodiscipulos & sequaces editos vel translatos, edita vel translata, quod illos vel illa ordinario loci, vel eius commissario, seu inquisitori sub iuramento praesentet.

Quod si apud se scripta huiusmodi se habere non cognoverit, sed alibi, quod iuret illa circa suum ordinarium, vel alios supradictos infra certum terminum sibi praefigendum deponere.

Item, vtrum sciat aliquem vel aliquos habentes praefatorum tractatus, opuscula, epistolas, vel quaecumque alia scripta in quocumque idiomate composita siue translata, quod illum vel illos detegat vel manifestet pro purificatione fidei, siue executione iustitiae.

Item, specialiter literatus interrogetur, vtrum credat sententiam sacri Constantiensis Concilii super quadragintaquinque Ioannis Vuicleff, & Ioannis Hus triginta articulis superius descriptis latam, fore veram & catholicam: scilicet, quod supradicti quadragintaquinque articuli Ioannis Vuicleff, & Ioannis Hus triginta, non sunt catholici, sed quidam ex eis sunt notorie haeretici, quidam erronei, alii temerarii & seditiosi, alii piarum aurium offensivi.

Item, vtrum credat & asserat, quod in nullo casu sit licitum iurare.

Item, vtrum credat, quod ad mandatum iudicis iuramentum de veritate dicenda, vel quodlibet aliud ad causam opportunum, etiam pro purificatione infamiae faciendum, sit licitum.

Item, vtrum credat, quod periurium scienter commissum, ex quacumque causa vel occasione, pro conseruatione vitae corporalis propriae vel alterius, etiam in fauorem fidei, sit mortale peccatum.

Item, vtrum credat, quod deliberato animo contemnens ritum ecclesiae, ceremonias exorcismi & catechismi, aquae baptismatis consecratae, peccet mortaliter.

Item, vtrum credat, quod post consecrationem sacerdotis in sacramento altaris sub velamento panis & vini non sit panis materialis & vinum materiale, sed idem per

omnia Christus, qui fuit in cruce passus, & sedet ad dexteram Patris.

ANNO
CHRISTI
1418.

Item, vtrum credat & asserat, quod facta consecratione per sacerdotem, sub sola specie panis tantum, & præter speciem vini, sit vera caro Christi & sanguis & anima & deitas & totus Christus, ac idem corpus absolute & sub vna qualibet illarum specierum singulariter.

Item, vtrum credat, quod consuetudo communicandi personas laicales sub specie panis tantum, ab ecclesia vniuersali obseruata, & per sacrum Concilium Constantiæ approbata, sit seruanda sic, quod non liceat eam reprobare, aut sine ecclesiæ auctoritate pro libito immutare. Et quod dicentes pertinaciter oppositum præmissorum, tamquam hæretici vel sapientes hæresim, sint arcendi & puniendi.

Item, vtrum credat, quod Christianus contemnens susceptionem sacramentorum confirmationis, vel extremæ vnctionis, aut solemnizationis matrimonii, peccet mortaliter.

Item, vtrum credat, quod Christianus vltra contritionem cordis, habita copia sacerdotis idonei, soli sacerdoti de necessitate salutis confiteri teneatur, & non laico seu laicis quantumcumque bonis & deuotis.

Item, vtrum credat, quod sacerdos in casibus sibi permissis possit peccatorem confessum & contritum a peccatis absoluere, & sibi pœnitentiam iniungere.

Item, vtrum credat, quod malus sacerdos cum debita materia & forma, & cum intentione faciendi quod facit ecclesia, vere conficiat, vere absoluat, vere baptizet, & vere conferat alia sacramenta.

Item, vtrum credat, quod beatus Petrus fuerit vicarius Christi, habens potestatem ligandi & soluendi super terram.

Item, vtrum credat, quod papa canonice electus, qui pro tempore fuerit, eius nomine proprio expresso, sit successor beati Petri, habens supremam auctoritatem in ecclesia Dei.

Item, vtrum credat, auctoritatem iurisdictionis papæ, archiepiscopi & episcopi in soluendo & ligando esse maiorem auctoritate simplicis sacerdotis, etiam si curam animarum habeat.

ANNO
CHRISTI
1418.

Item, vtrum credat, quod papa omnibus Christianis vere contritis & confessis ex causa pia & iusta possit concedere indulgentias in remissionem peccatorum, maxime pia loca visitantibus, & ipsis manus suas porrigentibus adiutrices. Et,

Vtrum credat, quod ex tali concessione visitantes ecclesias ipsas & manus adiutrices eis porrigentes, huiusmodi indulgentias consequi possint.

Item, vtrum credat, quod singuli episcopi suis subditis secundum limitationem sacrorum Canonum, huiusmodi indulgentias concedere possint.

Item, vtrum credat & asserat, licitum esse, sanctorum reliquias & imagines a Christi fidelibus venerari.

Item, vtrum credat, quod papa vel alius praelatus propriis nominibus papæ pro tempore expressis, vel ipsorum vicarii, possint suum subditum ecclesiasticum siue saculare propter inobedientiam siue contumaciam excommunicare, ita quod talis pro excommunicato sit habendus.

Item, vtrum credat, quod inobedientia siue contumacia excommunicatorum crescente, praelati, vel eorum vicarii in spiritualibus habeant potestatem aggrauandi & reaggrauandi, interdictum ponendi, & brachium saculare inuocandi; & quod illis censuris per inferiores sit obediendum.

Item, vtrum credat, quod papa, vel alii praelati, & eorum vicarii in spiritualibus habeant potestatem sacerdotum & laicos inobedientes & contumaces excommunicandi, ab officio, beneficio, ingressu ecclesiæ & administratione ecclesiasticorum sacramentorum suspendendi.

Item, vtrum credat, quod liceat personis ecclesiasticis absque peccato huius mundi habere possessiones & bona temporalia.

Item, vtrum credat, quod laicis ipsa ab eis auferre potestate propria non liceat, imo quod sic auferentes, tollentes & inuadentes bona ipsa ecclesiastica, sint tamquam sacrilegi puniendi, etiam si male viuerent personæ ecclesiasticæ bona huiusmodi possidentes.

Item, vtrum credat, quod huiusmodi ablatio & inuasio cuiuscumque sacerdoti, etiam male viuenti, temere vel

violenter facta, vel illata, inducat sacrilegium.

Item, vtrum credat, quod liceat laicis vtriusque sexus, viris scilicet & mulieribus, libere prædicare verbum Dei.

Item, vtrum credat, quod singulis sacerdotibus libere liceat prædicare verbum Dei, vbiicumque, quodocumque & quibuscumque placuerit, etiam si non sint missi.

Item, vtrum credat, quod omnia peccata mortalia, & specialiter manifesta, sint publice corrigenda & extirpanda. Volumus insuper, ac statuimus & decernimus, quod si quis per secretam informationem per vos recipiendam, vel alias repertus fuerit infamatus, seu suspectus de quacumque specie hæresis pestiferæ, sectæ vel doctrinæ pestilentium Ioannis Vuicleff, Ioannis Hus & Hieronymi de Praga hæresiarcharum prædictorum, aut de fouendo, receptando, defendendo præfatos damnatos homines, dum viuerent in humanis, vel ipsorum perfidos sequaces & pseudodiscipulos, aut ipsorum erroribus credendo, pro ipsis defunctis vel aliquo ipsorum post obitum orando, vel inter catholicos nominando & defendendo, vel ipsos vt sanctos colendo, prædicando vel adorando, vel alias circa eos suspecte agendo, citetur per vos seu alterum vestrum, personaliter coram vobis seu altero vestrum compariturus, semotis procuratore & aduocato, responsurus medio iuramento per ipsum sic (vt prædictum est) corporaliter præfinito de plana & mera veritate dicenda super prædictis articulis, seu eorum singulis, vel aliis opportunis, secundum exigentiam casus & occurrentium circumstantiarum ad arbitrium vestrum, & prout vobis seu alteri vestrum videbitur expedire, vel alias contra eosdem ipsorum singulos, (prout præsentibus exprimitur, vel alias) canonicè procedatis, nec non præfentes literas, exclusis articulis & interrogatoriis superius positis atque omiſſis, in ciuitatibus, diocesis, terris & locis aliis, vbi tute fieri poterit, auctoritate nostra solenniter publicetis & publicari faciatis, omnes & singulos hæreticos huiusmodi, nec non sectatores ipsarum hæresum & errorum vtriusque sexus, tenentes & etiam defendentes eosdem, aut hæreticis ipsis quomodolibet publice vel occulte in diuinis vel alias participantibus, etiam si patriarchali, archiepiscopali, episcopali, regali, reginali, ducali, aut alia quauis ecclesiastica vel

ANNO
 CHRISTI
 1418.

mundana præfulgeant dignitate, nec non aduocatos & procuratores quoslibet, qui hæreticos huiusmodi aut eorum credentes, sequaces, fautores, defensores & receptatores super crimine hæresis aut credulitatis, sequelæ, fautoria, defensionis & receptationis huiusmodi defenderit, excommunicatos singulis diebus Dominicis & festiuis in præsentia populi nuntietis, & per alios nuntiari faciatis. Et nihilo minus contra eosdem omnes & singulos vtriusque sexus, huiusmodi errores tenentes, approbantes, defendentes, dogmatizantes, ac fautores & receptatores & defensores eorumdem, exemptos & non exemptos, & quemlibet ipsorum, cuiuscumque dignitatis, status, præminentia, gradus, ordinis vel conditionis (vt præfertur) existant, auctoritate nostra diligenter inquirere studeatis, & eos quos per inquisitionem huiusmodi diffamatos, vel per confessionem eorum seu per facti euidentiam, vel alias huiusmodi hæresis & erroris labe resperfos reperietis, auctoritate prædicta etiam per excommunicationis, suspensionis & interdicti, nec non priuationis dignitatum, personarum & officiorum, aliorumque beneficiorum ecclesiasticorum ac feudorum, quæ a quibuscumque ecclesiis, monasteriis ac aliis locis ecclesiasticis obtinent, ac etiam bonorum & dignitatum sæcularium ac graduum scientiarum quarumcumque facultatum, & per alias pœnas, sententias & censuras ecclesiasticas, ac vias & modos, quos ad hoc expedire, seu opportunos esse videritis, etiam per captiones & incarcerationes personarum, & alias pœnas corporales, quibus hæretici puniuntur, seu puniri iubentur aut solent iuxta canonicas sanctiones. Similiter & clericos ipsos & ecclesiasticas personas, vsque ad degradationem inclusiue, si eorum culpa ac pertinacia vel rebellio id exigat aut requirat, corrigatis & puniatis, ac diligenter corrigi & puniri faciatis, nec non contra eosdem, ipsorum, laicorumque bona secundum canonicas sanctiones & legales, contra hæreticos & eorum sequaces editas, quibus eosdem sectatores siue sequaces subiacere decernimus, animose confurgatis iuxta modum & formam supradictos. Et qui de præmissis hæresibus vel articulis, vel aliquo præmissorum infamati fuerint, ad arbitrium vestrum se purgare teneant.

Kkkk ij

tur. Alii vero qui per testes seu propriam confessionem vel alias legitimas probationes conuicti fuerint de prædictis hæresibus vel articulis, vel aliquo præmissorum, eisdem articulos & errores sollemniter & publice reuocare, abiurare, pœnitentiam condignam, etiam ad immurationem (si delictum exegerit) subire cogantur, nec non quod errores & hæreses huiusmodi, cuiuscumque generis vel speciei censeantur, de cetero verbo, nutu vel facto non fouebunt, seu alios ad credendum illis verbo vel de facto, publice vel occulte, directe vel indirecte, aut alio quouis modo inducent, sufficientem & idoneam cautionem præstare teneantur. Quod si forsân eisdem articulos sollemniter & publice reuocare & abiurare, & pœnitentiam condignam, etiam ad immurationem perpetuam vel temporalem iuxta vestræ discretionis arbitrium, sine dilatione subire, ac sufficientem cautionem, quod errores & hæreses ipsas de cetero non tenebunt, nec fouebunt, nec alios ad credendum vel verbo vel facto, publice & occulte, directe vel indirecte, vel quouis quæsito colore inducant, præstare, seu aliquid præmissorum facere voluerint, extunc contra ipsos, iuxta qualitatem errorum ac delictorum suorum (etiam si expediat) tamquam contra hæreticos aut hæretica labe respersos, auctoritate nostra iuxta canonicas & legales sanctiones summarie & simpliciter, ac de plano sine strepitu & figura iudicii, & etiam ex officio, appellatione, seu appellationibus quibuscumque cessantibus, procedatis, ac ipsos iuxta easdem canonicas traditiones puniatis, etiam si opus fuerit, curiæ sæculari relinquendo: contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo, inuocato ad hoc (si opus fuerit) auxilio eiusdem brachii sæcularis, non obstantibus tam felicis recordationis Bonifacii papæ octauæ prædecessoris nostri, qua cauetur, ne quis extra ciuitatem & diœcesim suam, nisi in certis exceptis casibus, & in illis ultra vnam diætam a fine suæ diœcesis ad iudicium euocetur, seu ne iudices a sede apostolica deputati extra ciuitatem & diœcesim in quibus deputati fuerint, contra quoscumque procedere, siue alii vel aliis vices suas committere, aut aliquos ultra vnam diætam a fine diœcesum eorundem trahere præsumant, & de duabus diætis in Con-

ANNO
CHRISTI
1418.

cilio generali, quam aliis quibuscumque constitutionibus Romanorum pontificum, tam a iudicibus delegatis, quam personis vltra certum numerum ad iudicium non vocandis, aut aliis editis, quæ possint in hac parte vestra iurisdictioni aut potestati, eiusque libero exercitio quomodolibet obuiare, seu si aliquibus communiter vel diuisim ab eadem sit sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari, seu vltra vel extra loca ad iudicium euocari non possint, per literas apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi & eorum personis, locis & ordinibus & nominibus propriis mentionem, & qualibet alia dictæ sedis indulgentia generali vel speciali, cuiuscumque tenoris existat, per quam præsentibus non expressam, vel totaliter non insertam, vestra iurisdictionis explicatio in hac parte valeat quomodolibet impediri, & de qua cuiusque toto tenore de verbo ad verbum in nostris literis habenda sit mentio specialis.

Datum Constantiæ octauo Kalendas Martii, pontificatus nostri anno primo.

CONFIRMATIO CONSTITUTIONVM

Friderici secundi & Carolinae, cum multis adiectionibus per Concilium Constantiense in decimanona sessione, quibus libertati ecclesiastica plurimum fauetur, & ob id adiiciendam præfato operi constituimus, vt ex illa, quantum deferendum sit ecclesiæ, quisque agnoscat.

*f. in speculum se
cōsiderationis.

SACROSANCTA Synodus Constantiensis* in speculum suæ considerationis extollens, quam grauissima dispendia ecclesiæ, monasteria, hospitalia, xenodochia, & alia pia loca ac personæ ecclesiasticæ sic tempore guerrarum & lugubris schismatis, proh dolor, causante malitia & ambitione mentium humanarum, ad talia diuersis coloribus, modis & titulis inhiantium improbe, hætenus per tulerint, maxime a tempore felicitatis recordationis Urbani papæ sexti inclusiue citra, ac perferant incessanter in talliis, collectis, exactionibus, occupationibus, inuasionibus, detentionibus, distractionibus, concessionibus, venditionibus, infeudationibus, emphyteoticis & aliis loca-